

*vulnus sit exiguum*, ut si solum gladii apex intraverit, sine futura reponatur, cum paruum tale vulnus sponte rursus coalescat; quam coalitionem diæta parcissima atque tenuis ex solis jusculis constans, maxime juvat. Si vero *paulo majori vulnere* sint læsa, reponi sine futura non poterunt, alias quæ æger ederet & biberet per illud foramen in cavum abdominis ingrederentur, quæ stagnando corrumperentur, partesque alias inficerent. Si igitur vulnus ad digiti transversum vel majorem magnitudinem observetur, intestina sine futura non reponenda, ad quam vero futuram acus vulgaris recta, parva, ne foramina efficiat majora, & filum lineum vel sericum tenue cera obductum requiritur. Minister tunc unam vulneris extremitatem, digitis linteo subtili circumvolutis, ne intestinum gliscat, firmiter sustineat; Chirurgus pollice & indice manus sinistræ eodem modo linteo involutis alteramprehendat vulneris extremitatem, tuncque eodem modo consuatur ut pelliones pelles consuere solent (hinc futura pellionum dicitur) Extremitas filii pedis circiter longitudine in prima circumvolutione firmata relinquatur, totumque vulnus sensim more pellionum ita consuatur, ut ex fig. 67. Tractat. Chirurg. Gallici *D. de la Vauguion* videre licet, quia verbis vix clare describi potest.

THES. XVI.

Vulnere integre confuto filum nodo firmetur & hæc extremitas ad nodum resecetur; prius autem filii frustum relictum ex vulnere propendeat: intestina tunc reponantur, postea ad vulnus quoque abdominis occludendum gastroraphia §. XI. descripta una cum turunda adhibeatur, & ne filum ex intestino propendens confundatur cum filo turundæ, & si simul quoque adsit omenti ligati filum, probe hæc fila a se invicem diversis coloribus distinguantur, ne, si turunda forte, ut jam supra monuimus, in abdomen incideret, error & damnum committatur. Poterit itaque ad omentum ligandum sumi filum album, ad intesti-

testi-